# CAESARIS

MISERATIONE DIVINA

*Tt. S.ti Petri in Monte Aureo*

*S. R. E. Presb. Cardinalis*

# GHERARDI

CAMERINI EPISCOPI

*EPISTOLA*

PASTORALIS.



CÆSAR

S. R. E. Presb. CARD. Camerini EPISCOPUS

Dilecto Clero, & Populo per universam suam Diœcesim Sal. in Domino sempiternam.

IN DOMINICO *Agro, cujus operarij sumus, oportet nos prudenter, atq; vigilanter spiritalem exercere culturam, ut perseveranti industriâ quæ legitimis temporibus sunt exsequenda curantes, de Sanctorum operum fruge lætemur.* quod sanctus Pontifex Leo dicebat, cujus verbis ego quoq; vos compellabo, Fratres, & Filij dilectissimi. In hoc equidem veni ad vos, qui *Dei agricultura estis.* 1. ad Cor. 3. Spero autem in Domino, quod & missus venerim, sicut & vos cum gaudio, & benedictione multa me excepistis. Veni ad vos: vos autem ne, Domino revocante, statim a vobis abirem, quàm de me solliciti fuistis? Curatorem animarum vestrarum vos retinuistis, quando per hæc Templa effusi, anxie, & sine intermissione orantes, ad Deum, & Patrem misericordiarum preces intendistis. Ita nati, & instituti estis qui pietatem & Christianam Relligionem ab antiquissimis temporibus inter vos regnare voluistis, adeoq; Civium vestrorum sanguine, tanquam sacrâ purpurâ perfusam, Martyrio coronastis. Veni ad vos, cupiens ut difficili hoc tempore, quo alicubi videtur sævire cælum, vbiq; premit annona, consolatorem haberetis, si non adjutorem habuistis. Sed scitis, dilectissimi, quod agricola primo quoq; tempore stimulum comparat, vomerem instruit, jugum procurat, & hujus generis adornat alia, quibus inclementer terram proscindat, pravaq; germina radicitus evellat, instrumenta quæq; durissima. Hoc enim Dominus edixit: *Novate,* inquit, *vobis novale, & nolite serere super spinas.* Hier. 4. quin etiam, sicuti lascivientem castigat agrum, ita sæpe sterilem incendit. & alius quidem forte mirabitur dum cernet collecta dissipantē, &, ne facile colligi possint, semina cum cura terræ commiscentem, mox coruscationes, & imbres, quibus corrumpantur, expetentem. At agricola nō ad coruscationes respicit, sed manipulos meditatur

non marceſcentia ſemina, ſed vernantes ſpicas: non jacturam, ſed ventilabrum: non gravem imbrem, ſed jucundam aream. Psal. 125. nam *qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.* Et nunc quidem tempus nos admonet, ut culturam hanc noſtram auſpicantes, Eccleſiæ noſtræ agrum inſpiciamus, & viſitemus. Hier. 23. Inſonat enim auribus noſtris vox illa: *Vos diſperſiſtis gregem meum, & ejeciſtis eos, & non viſitaſtis eos.* Expedire igitur oportet ſtimulum admonitionis, vomerem caſtigationis, jugum obedientiæ, evellenda prava germina vitiorum, ſpiritûs ignis in ſegnem terram cum Domino mittendus, ſpargendum ſemen, quod eſt verbum Dei, excitandæ coruſcationes ruboris, ciendi ſunt imbres lacrymarum cum tonitruis increpa- Is. 58. tionum. Scriptum eſt enim: *Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.* Nazianzen. Apolog. 1. quandoquidem, vt Gregorius admonuit, *alios monet oratio, alij Antiſtitis exemplo componuntur, alij calcaribus opus habent, alij fræno.* Durum ſane miniſterium, quis neget? quod paternum animum velans, ſeveri Cenſoris perſonã nobis induit: quod confuſionis luto obvoluta ſemina per indignationem, & doloris vim, per ægritudinem animi opus corrumpere quis credat: quod humanis artibus dirigi non po- Apud Suidam. teſt. Nam, quæ vetus, & vera antiqui Theologi ſententia eſt, *Civilem virtutem Epiſcopali muneri jungere velle, ea connectere eſt, quæ inter ſe maxime naturâ diſſident, & connecti nequeunt.* Durum igitur, ſed admirabile miniſterium. ut enim Serm. de van. & brev. vitæ. ait Chryſoſtomus, qui Cælum, & terram creavit, qui hominem condidit, tanquam Pictor, & pius Genitor, non ſatis eſſe duxit quod libuiſſet effingere, niſi & filium ad eamdem effigiandi peritiam perduxiſſet. ideoq; ſic homini loquitur. *Creare tu quidem hominem non potes: juſtum tamen efficere potes. Subſtantiam ipſe creavi: tu illius conſcientiam expoli. Incendi ego in Cælo lumina: proclive eſt tibi clariores accendere faces, quibus lucem præbeas errantibus. Creavi ego corpus decorum: concedo tibi meliora faciendi arbitrium, facito & tu animam formoſiorem. Creavi ego Cælum, & terram: tu facito e terra Cælum.* nam & ſi corpus hoc humilitatis noſtræ luteum eſt, ad Philip. 3. poteſt, ſi libet, cæleſte fieri, *reformatum nempe, & confi-*

guratum

*guratum corpori claritatis Christi:* quando *nos omnes revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Pro vita, quam diligitis, legatione fungimur,* dicebat S. Evcherius: *& hanc, quam omnes exiguam amatis, insinuamus ut ametis æternam.* Videte Fratres, videte Filii, quale sit ministerium nostrum. Sane optarem ego quoq; cum Ap.[lo] *Anathema esse a Christo pro Fratribus meis,* qui sunt Sacerdotes. Vos enim, Fratres, in primis nunc alloquor, cum quibus habeo & commune ministerium: Vos, qui Vigiles, & Speculatores constituti estis in Domo Dei: Vos *Genus electum, Regale Sacerdotium, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum: Quorum conversatio in cælis est;* ideoq; in sublimi positos, & in edito stantes plurimus horror circumsistit. nam si ab excelsa illa altitudine aciē ad ima flectentes, terram humilem respectetis, statim caligo oculis obversabitur, ita ut præcipites agamini. *Nolite credere, nolite esse securi, licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur. magnos hic campus montes habet. intus est periculum, intus est hostis. expedite rudentes, vela suspendite. Crux antenna figatur in frontibus. Tranquillitas illa tempestas est,* clamat vir sanctus. nolite dicere, Pax, si non est pax. nolite linere parietem luto sine temperatura, dissimulantes populorum peccata, ne veniat procella, & indignatio. *Arastis,* inquit Dominus, *impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij.* nolite vestris moribus aliena vitia tueri. hoc enim piam animam olim cruciabat. *Eousq;* inquit, *enervatus est Ecclesiastica disciplinæ vigor, ut jam non vitijs excusatio, sed auctoritas detur.* Vtinam fieri posset, me pro vobis certantem bene gerere, vos autem bene gestæ rei premia ferre! nunquam profecto vobis tantum turbationis ingererem. nunc autem piaculum fuerit, non modo si vestrum quilibet malum aliquod facinus patraverit, sed etiam, si male feriatus, bona omiserit. nam quantum ad nos

pertinet

2. ad Cor. 3.
2. ad Cor. 5.
ad Rom. 9.
1. Petr. 2.
ad Philip. 3.
Hier. ad Heliodor.
Ezech. 13.
Os. 10.
Cyprian. de Spectac.

Chryſ. de virt. & vit. pertinet, ut ille ait, *Hoc ipſum non feciſſe bonum, nihil aliud eſt, quam feciſſe malum*. Sic ſervi noſtri, ſic agricolæ, licet alioqui modeſti, ſobrij, non contumaces, non refractarii, ſi ſegnes, & inertes manus compreſſas tenentes domi ſedeant, vapulabunt, & pænas dabunt. eâdemq; ratione in corpore noſtro, ſi manus capite abſtineat, non linguam exſcindat, non oculos evellat, otioſa tamen degat, ſatius fuerit eam abſcindere, quam inertem, & corpori inutilem circumferre. Quod ſi nemo inter vos implicat ſe negotiis ſæcularibus, ſi non eſt inter vos vinolentus, non litigioſus, non cupidus, non æruſcator, quid dicam? laudo vos. ſed adhuc amplius requiram, ut munus veſtrum bona faciendo impleatis. nam

1. ad Cor. 14. *in Eccleſia volo quinq; verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam*, quod annuncianda ſint credenda, agenda, vitanda, timenda,

Malach. 2. ſperanda. profecto *labia Sacerdotis requirent ſcientiam, & legem requirent* ſubditi *ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*. Itaq; cum venero ad vos, ſcio me probaturum in

Proverb. 18. vobis quod ſcriptum eſt: *Iuſtus prior eſt accuſator ſui*. De miniſterio autem, quod fit inter Sanctos, non ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis. Scio enim nimis promptum animum

2. ad Cor. 9. veſtrum, nec vereor cum Apoſtolo, *ut benedictio paretur ſic tanquam benedictio, non tanquam avaritia*. Neceſſarium ergo exiſtimavi rogare Fratres, ut perveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe ſicut de-

2. ad Cor. 6. cet Sanctos, *nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum*. Itaq; Fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, ſi qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua viſcera miſericordiæ, implete gaudium meum, ut neceſſaria tantum præſtetis. nihil per contentionem, aut æmulationem, neq; per inanem gloriam, ſed in humilitate, & charitate, ne cuiquam veſtrum graves ſimus, *& ſic nos*

1. ad Cor. 4. *exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſterio-*

ad Gal. 4. *rum Dei*. Vobis autem, Filioli mei, quos ego *parturio donec formetur Chriſtus in vobis, teſtimonium perhibeo* cum Apoſto-

ad Hebr. 13. lo, *quia ſicut Angelum Dei me excepiſtis*. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, &*

*non*

*non gementes. hoc enim non expedit vobis.* Audio autem
querellas, & scissuras, & contentiones, quas, cum venero, ex-
tinctas cupio. nonne scitis, quod *unum corpus, & unus spi-* ad Eph. 4.
*ritus*, ut *multitudinis credentium erat cor unum, & anima* Act. 4.
*una?* nam *attraxit nos Deus in vinculis charitatis, Quibus qui* Os. 11.
*alligantur, gaudent catenis suis*. Definite igitur judicia cum Cassian. de
Sacerdotibus, *in tribulatione patientes, orationi instantes,* Incar. li 4. c. 1.
*necessitatibus Sanctorum communicantes. An nescitis, quo-* ad Rom. 12.
*niam Sancti de hoc mundo judicabunt? nescitis, quoniam An-* 1. ad Cor. 6.
*gelos judicabunt?* Præcidite igitur judicia, & contentiones,
vel *sæcularia judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in*
*Ecclesia, illos constituite ad judicandum*. mallem autem, *ut* 2. ad Cor. 9.
*unusquisq; prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut*
*ex necessitate. hilarem enim datorem diligit Deus*. De cetero,
dilectissimi, *deponentes omnem malitiam, Gustate, & videte,* 1. Petr. 2. Ps. 33.
*quoniam suavis est Dominus, & Dives in misericordia*. nam
*ut acciperemus dilectionem, quâ diligeremus, dilecti sumus cum* August. de
*eam nondum haberemus*. Obsecro autem primum omnium Gr. contra Pelag.
per universam Ecclesiam, fieri obsecrationes, orationes, po- *ad Ephes. 2.
stulationes, gratiarum actiones pro omnibus, præcipue ve-
ro pro SS.mo Romano Pontifice, & omnibus, qui in subli-
mitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in o-
mni pietate, & castitate. Volo ergo vos orare in omni loco, 1 ad Tim 2.
*levantes puras manus sine ira, & disceptatione, Ut annuntiem* 1. ad Cor. 2.
*in vobis testimonium Christi non in persuasibilibus humanæ sa-*
*pientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs, & virtutis*: ut noster
ordo nō modo perficiens, & perfectionis auctor probetur, sed,
sicuti Dionysius ait, illuminare quoq; & purgare noscatur. Nos de Eccl. Hier
enim tenuitatem nostram agnoscimus. Vos autem scitis, Fra- c. 4.
tres, & Filii dilectissimi, quod ipse Princeps Apostolorum ad
visionem illam exhorruit, cum vidit cælum apertum, & vas Act. 10.
descendens de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupe-
dia, & serpentia terræ, & volatilia cæli, quæ jussus est occidere,
& manducare, quod est populorum extinguere vitia, & Gētes,
quod nos eramus, mystico Ecclesiæ corpori, cujus ipse caput
erat, inserere, & unire. Scitis, quod dictum est ad Aaron, & fili- Num. 18.
os ejus, ut portarent iniquitatem multitudinis, & sustinerent

Levit. 10. peccata Sacerdotij. Scitis, quod Nadab, & Abiu ignis a Deo egressus devoravit, cum alienum, non cælestem ignem obtulissent. Quale igitur, quantumq; munus ei.: creditis, quod ad serpentes dilaniandos, & comedendos nos vocat, quod onus immensum iniquitatum universæ multitudinis humeris nostris imponit, quod ignem divinum, & de cælo descendentem exigit, nec sine interitu nostro terrenum, qui humanis pectoribus hæret, admittit? Sunt autem volucres inter homines, Clemens ait, qui ex ipsis sunt leves: serpentes, qui deceptores: leones, qui animosi, & ad iram concitati: sues, voluptati deditt: lupi, qui rapaces. Sic exigis a fera homo quod ipse non præstas: mansuetudinem, patientiam, obedientiam, timorem, laborem. ita bis naturam violas, dum mitem facis feram, humanitatem vero feritate corrumpis. Et quamquam nos Andromachen ex serpentibus conficere, fistulâq; Pastorali (quod de Stephano Germanicensi dixere veteres) lupos in oves convertere parati simus, pulchrior tamen spes illa fovet, ut innocentia vestra nulla venena desideret. *Charitas Christi urget nos*, ut omnes ad unum sanctos, impollutos, incontaminatos, mites, misericordes reperire cupiamus. nam *si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra*. nec sanum est corpus, in quo vel unica, quamvis exigua pars, corrupta sit. reliquas mox illa corrumpet. *quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt*. ne unguem quidem sine totius corporis dolore contorseris. Itaq; cum apud Corinthios unus modo improbus inventus esset, ingemuit Paullus, quasi universa Civitas illa funditus perisset. Quod si virtus aut cerni non potest, nisi habeat vitia contraria, aut non est perfecta, nisi exerceatur adversis, incidimus in tempora, quibus alibi nobis *ostium apertum est magnum, & evidens, & adversarij multi*. Vos autem *stabiles estote, & immobiles*, charissimi, *Gens sancta, populus acquisitionis* Reficite viscera mea in Domino, sicut & ego confidens in obedientia vestra scripsi. Gratia, & Charitas, & Pax Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro.

Marginal notes: In Exhortat. ad Gentes. — Nicephor. lib. 12. c. 5. — 2. ad Cor. 5. — 1. ad Cor. 12. — Chrys. serm. de virt. & vit. — Lactant. lib. 5. de Iust. c. 7. — 1. ad Cor. 16. & 15. — 1. Petr. 2. — ad Philem. 1.



CAMERINI, Apud Franciscum Iojosum. Anno M.DC.XXII.